

Theoderici Sacré oratio cui index:

De poetis quibusdam Latinis qui novissimo hoc sesquisæculo floruerunt



Præteriti mergam totum me temporis undis

(I. [Morabito](#) (1900-1997) *Somnium Catulli*, 91)

Sæculo septimo et decimo, auditores, floruit apud cives meos, Belgas dico, trias, uti ita dicam, poetarum novissima, quorum quisque et in Flandria occidentali natus societatemque Iesu erat amplexus, et Latinas Musas tanto ardore eventuque coluit tam felici ut omnium fere Europæ populorum tulerint illi plausus tulerintque diu. Principem inter eos vates locum ut ævo, ita poetica facultate obtinuerat [Sidronius Hosschius](#) (1596-1653), qui elegos fudit tam molles ut, cum omnem lasciviam Ovidianam effugeret, versuum tamen elegantia Ovidium illum omnium consensu legentium facile adæquare diceretur. Hunc excepit [Gulielmus Becanus](#) (1608-1683) in [eclogis sive idyllis](#) Christianis nemini secundus, uno fortasse excepto [Baptista Mantuano](#). Clausit autem agmen hoc musigenarum [Iacobus Wallius](#) (1599-1690), qui heroica poesi ceteros præcellebat et copia carminum. In hoc viro, Wallio dico, sinite me perbrevisiter immorari, non quo abducere vos a sæculo vicesimo velim ad decimum septimum, sed quia in epistula quadam mihi ille ad sodalem data aperuisse videtur res non solum veras sed et eas, unde existimationem bonam atque auctoritatem, qua olim fruebantur poetæ latini, facile eruamus. Scripsit enim anno millesimo sescentesimo sexagesimo septimo Wallius ad Iesuitam quendam Romæ habitantem^[1], quo familiariter utebatur, tum alia, tum hæc:

*Sine poetis nihil propemodum in rebus humanis geri iam pridem usu didici. Editus est in lucem puer? Genethliacon poscitur. Alius vita cessit? Musæ velut præficæ conducuntur ut plorent in funere et dicant et faciant prope plura dolentibus ex animo. Ineuntur coniugia? Ad thalamum inter nuptiales faces sine carmine sponsa non ducitur. Rex e sole ac pulvere præliorum victor rediit? Non satis est si miles **io** magna voce **trumphe** canat, nisi et poeta inter tubarum clangores aliquid etiam ad citharam canat. Denique ne honores aditos habitosve et cetera de genere hoc (adeo sunt multa) otiose persequar, liber fere nullus in publicum prodit, nisi eius vestibulo aut Apollinaris laurus aut hederæ parietaria adhærescat.*

Quorsum hæc verba tam vetusta ab oblivione vindicaverim orationem hanc dum auspico, ipsi, nisi fallor, auditores, facili assequemini coniectura. Nonne enim ex hoc et eiusmodi testimoniis, quæ fere innumerabilia possunt proferri, omni luce clarius patet quo in honore olim fuerint Musæ, quem locum in cultu civili diuque et ubique terrarum obtinuerint? Nonne omnibus civibus cuiusvis ordinis tunc in propatulo erat poesis Latina, nonne et ipsa vitæ cottidianæ eiusque adiunctis tam arte cohærebat ut nihil nisi Latinis litteris esset mandatum, in annos vivere posse crederetur, ut nemo fere litteratus haberetur nisi Latine esset doctus? Tunc raræ aves Latinitatis osores, spretores, contemptores; nunc nihil vulgatius. Sed quid osores dixi? Nam non, verum si quærumus, oppugnatur huius ævi Latinitas, sed ne pili quidem æstimatur, obscuratur, ignoratur, quasi huius non sit sæculi Camenam colere Latinam quasique a vera ac genuina poesi sit alienum quicquid hoc tempore Latinis sit inclusum versibus. Quid multa? Funditus e litterarum hac re publica eiecta videtur esse novissima Latinitas, cum recentiores litteræ Latinæ (eas dico, quæ humanistarum temporibus lucem viderunt publicam) postliminio exilii diuturni debito denuo afficiantur honore.

Sed absint querelæ, quæ, cum sint steriles, sæpius efficiunt ut animo despondeamus quam ut tollamus volumina, legamus, capiamur et delectemur dicam an instruamur? Nam, mea quidem sententia, præterit ætas, cum omnis scientia, omnis doctrina omnisque sapientia e libris Latine scriptis erat petenda; nos ergo, cum Horatianum illud et prodesse volunt et delectare poetæ altera iam parte ita sit spoliatum ut una delectatio superesse videatur, Latine legentes nescio quid gaudii philologi venamur, quod ceteri litterarum amantes in unis litteris vernacule scriptis captare solent; quæ tamen est res haud parva haudve levis.

Respicienti autem mihi ad sæculum proxime atque irrevocabiliter elapsam animoque ea repetenti carmina quæ mihi per hos viginti fere annos, quibus huius ævi poetæ assidue lectitare soleo, præ ceteris arriserint, tum mecum reputanti quidnam sit illud, quo sæculi vicesimi poetæ a superioribus distent annorum centuriis, tela semper videtur exordienda a

[Ioanne Pascolo](#) poeta illo bilingui, atque a [certamine illo Hoefftiano](#). Nam poetæ uti ita dicam novi vere extitere mediante fere sæculo undevicesimo, quo tempore aura illa romantica, postquam litteras populorum omnium pervasit, Latinas quoque attigit oras novosque sensus, novos affectus in litteras nostrates invexit. Nec statim eruperunt motus illi, sed sensim ac leviter versibus poematisque irrepserunt Latinis. Apud Italos primus quantum scio [Didacus Vitrioli](#) Calaber natione idemque poeta bilinguis (1819-1898) teneros flebilesque elegos emisit, quibus coniuges, parentes, advenas depinxit dum Vesuvio monte flammam eructante in fugam sese conicere temptant; vel Cretem in ea ipsa calamitate moribundum loquentem ita induxit:

*Vrbs antiqua cadit, montanis obruta flammis;
iam pueri, iuvenes, iam periere senes.*

(...)

*Tuque virum, coniux, reducem delusa putabis
desilientque tua lanæ pensa manu.*

*Septennis Lycidas forsân per litus oberrat,
ipsaque cum Lycida parva Lisilla soror.*

*Sussultat Lycidas expectans bellula dona:
a patre expectat bellula dona soror.*

*Ite domum pueri. Tu litus desere, coniux:
non vir, non genitor venit ab Hesperia.*

*Vivite felices interque domestica sæpta
ne pigeat nomen commeminisse meum.*

*Quumque olim positis fulgent convivia mensis,
“hic” aliquis dicat “sederat ante pater!”*

*En ego iam morior ... Vesvi combustus ab igne;
iamque valete omnes ... en ego iam morior.* [2]

Fuit autem Vitriolius vere singularis, in ipsa patria ni fallor exul, quippe qui epigramma suam ipse in urbem mordacissimum lusit hoc atque idem immortale:

*Fœda bonis, iucunda malis, urbs invida, discors,
non habitanda viris, non habitanda feris!* [3]

Utut erat, mirum quanta olim per totam Europam inclaruerat fama et gloria Vitriolius, postquam anno 1845 victor discessit e [Certamine Hoeufftiano](#) primum indicto, misso ad iudices de [Xiphia](#) sive de gladii piscis in freto Messanensi venatione carmine; quod ad carmina sæculi decimi sexti didascalica ut prope accedebat, ita romantico illo sensu nondum insigniebatur. Hinc ille de suis litterarum studiis hæc:

*Pergite, Pierides: xiphiæ certamina lusi
et risit cœptis Belgica Terra meis:
Dicite "Io, Pæan"; rabie tumet undique Livor:
Adnuit in cœptis Belgica terra meis. (...)[4]*

Belgicam ergo veterum more dixit ille terram Batavam. Nam [certamen illud Hoeufftianum](#) Amstelodami inde ab anno millesimo octingentesimo quadragésimo quarto quotannis indicebatur; quod erat e legato [Iacobi Henrici Hoeufft](#), patroni eiusdemque patricii Dordraceni conditum.



Proponebatur illud usque ad annum superioris millennii undeoctogesimum, deficientibus tunc e legato redditibus et fructibus. Tanta autem celebritate gaudebat Certamen illud Amstelodamense, ut laus inde petenda multos incitaverit poetas ad militiam musicam; quoniam autem viri ex Italia plerumque oriundi victorias ibi reportaverunt, Italia primas ibi facile agebat. Hinc complura alia exorta sunt certamina, minora ea quidem at non spernenda, quibus Musa Latina mediante sæculo undevicesimo languens aliquatenus est refocillata. Nam initio illo quidem certaminis iudices Hoeufftiani de carminibus acceptis diiudicantes famam nonnullam consecuti sunt; quibus deinde de ea ipsa cum postea non parum esset detractum, ea tempestate cum fascistæ qui vocabantur navem publicam apud Italos gubernarent Italique poetæ palmam meritam non consecuti esse dicerentur, immo sese illi ipsi iniuria a iudicibus prætermittos esse clamitarent, Locrenses cives quidam anno millesimo nongentesimo vicesimo Certamen poeseos Locrense apud Italos meridionales condidere et constituere, quod unum fere per lustrum quotannis indictum permulta rei publicæ litterarum dedit carmina Latina. Quod in Certamen qui descenderunt, ii eisdem tenebantur legibus quibus competitors Hoeufftiani, siquidem poematia minus quadraginta versus complectentia carminaque e sermonibus patriis Latine conversa excludebantur. Dein circa annum præteriti sæculi quinquagesimum quater propositum est Bononiæ certamen poeticum Mingarellianum. Anno autem millesimo nongentesimo

quingagesimo quarto Certamen Vaticanum primum est promulgatum, quod inde ab anno uno et sexagesimo orationis cultoribus metris tam solutæ quam vinctæ quotannis proponitur. Mitto certamina minora, uno [Capitolino](#) contentus, quod anno quingagesimo conditum tertio quoque anno indicebatur viris prosæ orationis Latinæ studiosis, mox, sublato certamine Hoeufftiano, poetas quoque ad certandum invitabat etiamve invitat. Victorum autem carmina venustioribus plerumque typis excusa singularibusque inclusa libellis in vulgus eduntur, curante [Instituto Romanis studiis provehendis](#) (quod iisdem in ædibus Aventinis sedem habet et domicilium, quo et Academia nostra Latinitati Fovendæ). Hæc autem certamina omnia, quæ olim tanto gaudebant favore, notissimaque reddiderunt nomina poetarum, veluti [Pascoli](#), [Welleri](#)^[5], [Morabiti](#), [Polidori](#), [Bartoli](#), [Sofiæ Alesio](#), [Pigati](#), [Ciresolæ](#), [Pasqualetti](#), [Brignoli](#), hac ætate, ni fallor, aliquatenus languent, quippe quibus ætas ingravescat, obrēpat senectus et minetur canities cum torpore et invaletudine. Testis huius rei est quod poeticam eam opulentiam aliquatenus desideramus, qua olim præstitere ea certamina, siquidem his temporibus pauciores sunt qui carmina sua mittant ad iudices, eademque sunt fere semper nomina eorum qui in singulis certaminibus præmia ferunt. O quantopere omnibus votis, quotquot sunt nobis, exoptamus ut nova de cælo descendat Musarum progenies, utque benignis eos et serenis vultibus intueantur iudices ita, ut admittant etiam vernacula Latine versa et argumenta hodierna, quæ sub controversiis sunt, et lyrica breviora, ne velut in pistrinum perpetuo trudentur poetæ eundem circa tritum argumentorum et formarum orbem remanere coacti, ut sententia ea vulgi re ipsa comprobetur, quæ Latinas litteras una cum sermone Romano demortuas esse soleat contendere atque sepultas!

Sed iam abreptum me video et digressum a proposito. Nam apud animum statueram illud vobis ostendere, arte cohærere cum poesi certamina: quæ nisi essent ad alendam poesin instituta, nullus dubito quin omni iam dudum careret vita Camena. Nam vetus illud laudatumque verissime iactatur proverbium: "*honos alit artes*"; vel, ut cum Erasmo, *Antibarbarorum* auctore, loquar: [Quis tandem sani capitis cupiat sese tam diuturnis macerare laboribus, sine quibus nec mediocris litteratura paratur, odium denique summamque invidiam præmii vice reportaturus?](#)

^[6] Certationibus eis de palma poeticis pæne oblitus sum subiungere ephemerides sive commentarios Latinos, quibus haud mediocris messis carminum recentissimorum solet inseri. Quamquam, et heic non omnia bonis fiunt avibus. Nam primum quidem ipsi quot ephemerides Latinæ intra hos quinque lustra vel mortuæ sint vel alio flexerint recolatis oportet: mortua est, ut alias mittam, [Palæstra Latina](#) apud Hispanos olim quæ prospere floruit; mortua est *Latina lingua* Paula ex oppido Italiæ olim emissa; mortuus est *Orbis Latinus* Argentinus, qui a Musa recentissima non

erat alienus; mortuus est [Hermes Americanus](#), qui etsi dubiam haud raro legentibus proposuit Latinitatem, Latinas tamen litteras apud Americanos septentrionales auxit; mortui sunt, si verum quærumus, commentarii Avennionenses qui [Vita Latina](#) inscribuntur. Quem nos obitum fasciculorum eorum statis temporibus Latine apud Avennionenses editorum propterea dolemus atque id quidem vehementer, quod ipsorum commentariorum moderatores, cum olim carmina huius ævi permulta eaque sæpicule experimentis constantia proposuissent, venam illam tam large fluentem, consulto ac pæne nefarie inciderunt, omnique inde sanguine detracto, interciderunt. Tum quis negare ausit inter eorum commentariorum rectores hic illic reperiri qui Camenam, nobilissimam eam Latinitatis prolem, aut ignorent floccive faciant nasove suspendant adunco? Quod cum sit ita, æternis uti ita dicam laudibus exornetur velim illud inceptum scriptionum novarum et poeticarum annuatim, ni fallor, edendarum, quod [Anna Elissa Radke](#), poetria quæ Sappho rediviva a nonnullis haud iniuria celebratur, fovere moxque ad effectum adducere dicitur. Nec minus laudandus [Terentius](#) noster [Tunberg](#), civis Americanus dicam an Latinus, qui [Retiarium](#) quotannis emittit eidemque carmina nova solet includere; neque laudibus indigni ceteri illi loci interretiales quos cum Camena frequentet per totum terrarum orbem libere vagatur. Etsi, habent illud incommodi eiusmodi divulgationes (*Retiarium* excipio), ad orbem Latinum vivum quæ pertineant, quod secluduntur a cetera Latinitate, antiqua dico et media et recentiore. Interrogate enim litterarum cultores, quot sint qui tales commentarios fando audierint? Pauci erunt. Tum adite palæophilologos quos studiorum universitates aluerunt: interrogate quot noverint [Vocem Latinam Latinitatemve](#): paucissimi erunt. Tum de professoribus academicis Latinitatisque expertis quærite eosdemne commentarios teneant: nonne plures aut ignorabunt, aut si hic illic corvus albus noverit, nonne plerumque non lectos fastidient? Atqui fuit tempus, quod ante hos quadraginta fere annos ad finem pervenisse opinor, fuit, inquam tempus, cum probatissimi spectatissimique philologiæ classicæ commentarii, veluti [Greece and Rome](#), carmina nova versusque admittebant Latinos: hinc fiebat ut recentissima poesis locum olim (licet exiguum) cum dignitate in orbe classico adipisceretur et lucem. Nunc vero discidium quasi quoddam extat inter poetas, qui nunc sunt, et ceteros litterarum Latinarum cultores. Nonne enim male audiunt passim commentarii Latinitatis vivæ apud palæophilologos? Etiamnunc rumor est, qui ita vult, commentarios vivos plerumque vivæ loquelæ sermonique Latino in civitatibus Europæis tamquam linguæ Europæ communi restituendo favere; et cum distet poesis Latina, quæ diu meditata hominum in manus emittitur ab eiusmodi, quæ dixi, inceptis, nocet ea res poetis. His autem optio datur nulla. Nam si fetus suos edere voluerint, ut typographum editoremve nanciscantur qui paucis tantum exemplis librum excudat, quæstum inde nullum corrasurus, vix

tamen divulgabitur volumen nec idem in manibus erit legentium, nisi per commentarios innotuerit quibusdam viris Latine legentibus. Sit autem familiaritas quædam inter poetas hodiernos et vivæ Latinitatis fautores, sitque ea talis ut alteri alteris carere nequeant, aliud tamen est loquelæ vividæ indulgere, aliud Latine poetari. Utcumque se hæc habet res, timendum est ne viva hæc Latinitas una cum poetis, qui nunc sunt, in angulum compulsa exiguum, in eundem denique decidat statum eandemve obtineat sortem et miseram et abiectam, qua litteræ esperanticæ premuntur, periculum est, ut uno dicam verbo, ne litteræ hæ recentissimæ nullius momenti nulliusve ponderis esse arguantur. Quodsi hunc in modum considerari vel potius non considerari perrexit, mox extremum Camena vitæ spiritum, mihi credite, edet. Verum enimvero non potest Latinitas hæc novissima seiungi sive a recentiore sive a media et vetere, quibuscum tam arte cohæret, ut qui Latine nunc carmina pangunt, cupiant ea ita legi, ut subaudiantur vetustiores, quia, dum hortum ingrediantur poeticum Latinum, per calcatas a maioribus semitas incedant: quæ si semitæ contemnuntur, neque novi gressus ipsis superimpositi dilucide cernuntur. En causa cur laude admodum dignum dixerim Terentium Tunberg, Academiae nostræ socium, qui *Retiarium* electronice divulget cumque Latinitate antiqua, recentiore et recentissimam coniungat. Huiusmodi igitur cœpta sunt omni nisu fovenda, augenda, multiplicanda. Quin immo, quo facilius iustum quem meretur obtineat recentissima poesis locum, nova pugna nobis est pugnanda. Vicimus enim olim prælium simile, cum exultantem Camenam recentiore sive humanisticam restitueremus in pristinam dignitatem. Nam nemo fere hisce diebus negare ausit litteras Latinas recentiores mereri ut cognoscantur, ut investigatione docta perquirantur, ut haud secus ac vetera eloquentiæ momumenta viris humanitate eruditis litterisque excultis moveant admirationem. Atqui penitus intuenti diligentiusque perpendenti vix quicquam esse videbitur, cur recentiore Latinitatem civitate donemus, eademque interdiciamus recentissimæ. Etenim, si hæc qua his temporibus lingua utuntur poetæ, mortua dicitur esse quod nemo eam cum lacte nutricis suxerit, non minus mortua erat cum [Erasmus](#), cum [Morus](#), cum [Lipsius](#), cum [Pontanus](#), cum [Ianus Secundus](#) calamos felicissime arripiebant, quorum nemo sua ut ita dicam scripsit lingua, quisque tamen omnium populorum consensu immortalia opera eodem illo sermone scripta nobis reliquit. At dixerit quispiam: “Nonne ea ætate omnes Latinitate animos ita imbuerunt, ut cultum eorum civilem intellegere et indagare nequeas nisi ad partem Latinam respexeris? Nonne nostro ævo Latinæ litteræ a cultu civili aliquatenus sunt alienæ, nonne in litterarum provincia vix quicquam obtinent ipsæ?” Hæc ut ita esse multis de causis concedam (nam et institutio scholastica penitus est immutata, usus linguæ abiectus, cultusque uti civilis, ita et litterarius alio flexus), tamen qua re distet [Holbergius](#) qui

sæculo duodevicesimo mediante mythistoriam de [Nicolai Klimii itinere subterraneo](#) in publicum emisit a [Leone pontifice maximo eius nominis decimo tertio](#), qui exeunte undevicesimo, ineunte vicesimo suavissimos edidit versus, rursusve a Iohanne illo Pascolo qui paucis post Leonem annis mortuus est, nullus equidem video, qui plane non dubitem quin si non plures, at totidem Leonis illius vel Pascoli fuerint lectores. Ceterum cur poetæ sæculi vicesimi, quod inferioris sint nescio cuius classis, docta investigatione intercludantur, cum obscurorum versificatorum atque emedullatorum carmina unis codicibus contenta, blattarum ac tinearum epulæ, pulverulentis putribusque in pluteis putrescentes, quamvis inter omnes constet eos fetus nihil omnino apud posteros valuisse, omnes viri docti permittant ut assidue tractentur, in lucem edantur, erudita onerentur adnotatione, dummodo sæculo decimo quinto, sexto, septimo illa sint scripta, nulla mea sententia est causa satis probabilis. ‘At enim’, oggrunniunt, ‘nos equidem res historici pervestigamus itaque sentimus, ista quoque carmina incognita atque inamœna nobis esse relicta veluti ævi a memoria nostra remoti residua, easque ut ita dicamus tessellas studiose a nobis esse inspiciendas, unde totum opus musivum multis locis evanidum, qua fuerit forma pedetemptim eruamus ac diligenter reperiamus’. Illis autem rebus plerumque addunt hæc: ‘Tu vero, mi candide iudex, quid habes quod de istis carminibus nobiscum communicates, quippe quæ explicatione historica non egeant? Quibusve tu præceptis, in tanta rerum, sensuum gustuumque, qui nunc sunt, diversitate, poematia hodierna metiendas sentis? Num habes regulam qua bona, mediocria, mala diiudices? Nonne, cum gallus in sterquilinio plurimum possit, in eo necessario acquiescas oportet, ut “Euge, lepidum carmen, o pulchros versus!” exclames, ceterum mutus?’. Callide ita effugere conantibus, cum non inepta contendant, diverticulum tamen equidem nego. Esto; sit forsitan paulo difficilius de carminibus huius ipsius, quo vivimus, ævi aptum ferre et æquum iudicium. At ea in re iudicis officium, ut verum fatear, nulla re distat ab existimatione poesis vernaculæ, una fortasse re excepta hac, quod litterato Latino examine est perpendendum sitne emendata poetæ Latinitas, sitne tolerabilis ratio versuum condendorum; Latinitas autem emendata quæ sit constat fere inter omnes; de versificatione vero, quænam sit perfecta eius species, disputant interdum inter se critici; siquidem non solum reperiuntur qui metricos admittant defendantque versiculos, sed et qui rhythmos, immo et qui omni numero rhythmove solutos. Pauciores de optimis rhythmorum formis altercari opinor; de metricis vero rationibus potissimum adhibendis deque poetis veteribus in hac re ante alios imitandis haud pauci inter se dissentiunt iudices, quorum pars maior vult Vergilianas tantum Ovidianasve elegantias a poetis assumi. Cui unus alterve repugnat, quod præstet poetam quem affinitate quadam poetica attingas, quicumque is sit, hac parte sequi, quam frigida imitatione vanisque conatibus

exprimere eum, a quo sis alienior. Qua in re fateor me non solum plane magistro olim meo astipulari poesis iudicibus suadenti ut Musas diversis vocibus locutas esse agnoscerent, poetis autem plane permittenti ut in dicendi generibus eligendis magna fruerentur libertate^[7], sed etiam me ipsum huius sæcli filium esse autumo, quod certa quædam exemplaria præ ceteris admiranda non habeam, canones (qui dicuntur) minoris pendam, haudquaquam verear unguibus non repastinatis totum Latinitatis antiquæ campum refodere, suam cuique glebæ inesse virtutem contendens. Præterea, si qui metra capiunt, iuga quodammodo sibi imponi patiuntur; quibus si centenæ observationum præceptorumque spinæ vel aculei accesserint, timendum erit ne non iuga subiisse sibi videantur poetæ, sed tamquam servi perpetuarii in catenas compedesque strangulentur. Quod ipsum nos lepide monuit [Arrius Nurus](#), egregius ille satirographus, cuius exstat ad Ovidium epigramma:

*Limatum lepido currit tibi distichon ictu
ast oneras nimia compede pentametrum.
exigis ut versus sit sola bisyllaba finis,
desinere et prohibes, Naso, trisyllabice.
Dura satis res est Latios conscribere versus
et sine inutilibus sollicitudinibus!
quare ne pudeat nostrum concludere versum
neu monosyllabice neu polysyllabice.*^[8]

Quæ cum ita sit, ne spernamus eos qui versificatione usi minus Ovidiana germanam gignunt poësin. Nec longe requiro quem pro exemplo hic ponam: Iosephus ille est [Tusiani](#) Neo-Eboracensis, [Somnii nivalis](#) auctor.

*Quam pulchrum est contemplari in floccis nivis albis
æterni, extincto tempore, principium!
Lenta cadit nix et telluris culmina celat:
mons vallesque cito nomina sunt vacua.
Lenta cadit nix? Quid lentum est, quid præpes in isto
exsilio rerum? Nascitur ordo novus,
ordo silens qui bellorum strepitus tegit omnes,
ordo serenus qui sanguinis undam abolet.
Oh, cade limpida, nix, cade casta et candida et ampla,
donec me facias dulciter immemorem,
immemorem cuncti, qui durat in orbe, doloris,
immemorem veterum nequitiarum hominis.
En tranquillus in hac solemni pace recumbo
et veris semen mi satis est fieri.*^[9]

Hæc de poetis qui hoc tempore florent non ita facile existimandis strictim dixerim; plura volentem excludit tempus. At quoniam mihi propositum erat ut qui historica explicatione non egere contenderent sæculi vicesimi poesin, refellerem, repetamus, si vobis videtur, memoriam paulo superiorem. Nam illud audacter affirmare ausim, neminem posse carmina quæ ante hos septuaginta annos apud Italos meridionales sunt scripta, recte intellegere, nisi qui ad adiuncta illius ætatis adverterit; immo eorum meminerimus qui paulo supra hanc memoriam scripserunt. Quid enim si adulescentibus annos duodevicesimos natis [Iani Novàk](#) (1921-1984), poetæ Moravi, carmen conviciorum in Russos plenum, c.t. [Furens Tympanotriba](#), enarrandum tibi proposueris? Num notum illis ver illud Pragense anno 1968^o in ipso flore præcisum. Num innotuerunt ipsis miseræ civium condiciones cum repagula illa ferrea, quæ nuncupabantur, res publicas Europæorum in duas dividerent partes? Fuere iam illa repagula, iam nomen ipsum Cecosloviaciæ esse desiit, iam ergo, si alumnos carmen illud vehementissimum atque commoventissimum docere volumus eosque illud cogitatione penitus amplecti cupimus, præmonenda sunt quædam.^[10] Et ipsius Pascolii, qui ineunte vicesimo floruit sæculo, flebiles sensus nobis legentibus interdum, nisi fallor, videbuntur aliquatenus supra modum exaggerati, ut versibus eius nimiam animi molliem expressam esse dicamus; quam ne uni Pascolo falso assignemus, omnino necesse erit scribendi id genus ad sæculum quo scripsit referamus, ad auramque eam romanticam id revocemus. Itaque (generatim loquor) cum historia artissime coniungenda est poetarum sæculi vicesimi lectio. Nam qui trans mare illud, ut ita dicam, currunt, si a portu paulum provecti erunt, mox et cælum et animos incolarum, quo illi magis procul degant, id est quo maiore a nobis locorum temporumque intervallo disiuncti sint, eo magis mutatos esse videbunt. Obidipsum in universum iudicanti eodem fere modo eademque fere mente aggrediendi et evolvendi sæculi vicesimi poetæ, quo sæcula superiora; nisi forte contenti esse volumus eis unis carminibus quæ vel hoc vel superiore anno sunt conscripta. Nihilo tamen setius non nego (id quod insanæ esset mentis) aliud esse inquirere in poetas veteres, aliud in recentiores et recentissimos; nam cum illorum (veterum dico) indoles toto interdum cælo a nostra distet, horum rationes cogitandi ac sentiendi rationes ad nostras indoles propius accedunt. Atqui id quidem nostra plurimum refert, qui litteras profiteamur: quid enim magis prodest, quid ad Musam magis alumnorum allicit animos, quam hæc quam dixi coniunctio? Quæ efficit ut adulescentes in carmina facile sese insinuent, gradum ad Parnassum nimia sine molestia faciant, hæc legendo sese agnoscant ipsi, Latinam poesin fato non esse functam, sed ad semetipsos pertinere mirentur, Latinam linguam sive a veteribus sive a recentioribus scriptoribus excultam spernere ac fastidire desinant. Quæ cum ita sint, præceptores

doctoresque appellare audeo: patrimonium vobis a maioribus et æqualibus relictum ne dissipaveritis, ne parte quadam mutilaveritis, sed hereditatem illam defendite totam, quique doctis scriptionibus adduci potuistis, ut pulchræ matris filiam pulchram amplecteremini, id est veterum iuxta litteras recentiores quoque scriptiones prælectionibus vestris immisceretis, locum nunc debitum assignate recentissimæ Musæ. Vestra enim et Latinitatis ipsius res agitur. Si vos in scholis academiisque vestris Camenam exulare vivam vetueritis, reviviscet illa, quæ nunc passim languet aut despecta aut ignorata; assurget enim aliquando qui, etsi Latine scribere in schola non didicit, tamen his poetis Latine æmulari cupiat; et si vos eam Camenam civitate donatam alumnos docueritis, non parum hac re iuvabitur ipsa Latinitas.

Hæc œstro nescio quo percitus pro meo in hodiernam poesin affectu facere non potui quin si non omni ex parte tractarem, at saltem attingerem atque deliberarem. Hæc sunt enim maximi momenti, si quis ab interitu iam iam impendente vindicandam statuit Camenam.

At video me, cum a proposito non diverterim, tamen procul digressum a poeta illo sæculi vicesimi facile principe, Pascolo ^[11] (1855-1912), dico, qui per annos ex ordine tredecim Certaminis Hoeufftiani victor toties numismata aurea reportavit.



Præamavit autem Pascolus ille, qui academicus philologiæ classicæ, mox litterarum Italicarum fuit professor, commenticias fabulas quæ et rebus hominibusque antiquis et testimoniis certis adhærescerent et essent argumento ipso aliquatenus obscuræ, occultæ, incognitæ, ut vati ipsi essent supplendæ cum licentia quadam: atque ita dum antiqua tractat veteresque inducit homines, sensus et affectus sui ævi his omnibus mirum in modum immiscuit. Finxit ille permulta e brevissimis locis Vergilianis, Horatianis, aliis; personis autem veteribus novos sensus sæpe indidit suoque sæculo consentaneos. Itaque quid Iugurtha Romam delatus atque in carcerem coniectus cogitavisset versibus exprimere conatus est. Sæpe fiebat ut magnanimos illos Remi nepotes spernens, pueros Romanos in scænam produceret, mediocris et infimi ordinis atque ipsum statum servilem voce donaret, maternos animos exploraret, nutrices pingeret nænias somniferas cantantes, somnia ficta versibus ederet. Ceterum singula fere carmina

dimidia parte e sermocinationibus constabat; in his dicendi genus adhibebat non tumidum, sed sermonem cottidianum aliquatenus est imitatus; verborum eius copia opulentissima, ut iis etiam qui veterum vatum carmina cottidie evolvant, ad libros et dictionaria nonnumquam sit confugiendum. Versus plerumque cepit heroicis; qua in re non Vergilium Ovidiumve, quos plures, sed Horatii hexametros quales in satiris leguntur imitando expressit, ceterum euphoniæ maxime invigilans.

Quid multa? Non equidem inter recentiores invenio quos viro illi, summo artifice, comparem, nisi paucos excipiam, veluti Pontanum, Sannazarium, Ianumve Secundum. Hunc ergo Pascolum non mirum est si plures sunt imitati, pedibus in huius vestigiis positus. Nam Horatium morientem effinxerat Pascolus; itaque ultimos Vergilii dies commentus est Franciscus Sofia Alessio, Ovidii mortem Nellus Martinelli, Catulli letum Arrius Nurus, ne cunctos. Hæc ergo carmina Pascoliana per totum fere sæculum proximum superius conscripta sunt eademque cum argumentis et dispositione, tum dicendi genere et affectibus, quibus se motos esse ostenderunt poetæ, facile agnoscuntur atque a ceteris dignoscuntur; siquidem eiusmodi mihi carmina uno intuitu in universum æstimanti atque cum superiore ævo conferenti videntur minus oratorie, minus rhetorice conscripta, ut, si vim oratoriam eis inesse non negem, artem rhetoricam callide dicam esse celatam. Ceterum sæpe nobis contingit idem quod in veteribus legendis carminibus, ut alios aliorum versus imitari atque exprimere videamus: fuerunt igitur superioris sæculi poetæ nonnulli qui Pascolum illum exemplar sibi proponerent. Quod ut ostendam, duo ponam exempla. Ac primum afferam locum e *Catullo calvo* Pascoliano excerptum.

*Eamus. Esse nuntium ferunt matri
non belle. Eamus: heu piæ malest matri,
periculose cara mater ægrotat,
extinguitur. Citata me rapit ræda.
Est fœdus ager, stridulo natant imbri
viæ. Domum nanciscor. Adferunt: "Actum est.
Iam nec potest videre nec potest fari,
matrisque membra solvit ultimum frigus."
Accedo. At oculum mater adlevat: fatur:
"Quin facitis ignem? Pupulus meus friget."*^[12]

Sunt hi autem versus, quibus matris Catullianæ mors attingitur, eo notabiliores quod primigenius poeta, Catullum dico, matris suæ mentionem quantum scio fecit nullam; hic ergo de suo ipsius genitricis desiderio cogitavit Pascolus dum matrem in *Catullo calvo* includit. Anno autem 1947^o [Iosephus Morabito](#) (1900-1997), poeta Messanensis, ad iudices Hoeufftianos carmen misit, cui titulus *Mater*, quod magna laude

Amstelodami est ornatum. Quo carmine matris suæ poeta mortem versibus descripsit. En vobis rei particulam:

*Vt primum morbo matrem languere cubantem
adfertur trepido nuntius horrificus,
omnia posthabui, patriam casulamque revisi,
dum fera vox intus funera sæpe canit.
Hærebam lateri, frontemque manusque fovebam.
“**Mi puer, algescis; calface membra foco**”
dixit et “Opportunus ades, mi pupule, matri;
æternam scito me properare viam.”^[13]*

Nec satis hæc. Nam quinquennio fere ante idem poeta de Catullo carmen scripserat quod eodem anno 1947^o præmio Hoeufftiano est honestatum. Pascolum ibi secutus matrem quoque Catulli mortuam breviter perstrinxit:

*O utinam mater veniens nunc obvia verbis
cum teneris collo bracchia sancta daret!
Obscuræ dormit genetrix telluris in ulnis
vel peragrans Ditis nubila regna colit.*^[14]
(...)

Deinde [Theodorum Ciresolam](#) (1899-1978), uberrimæ venæ poetam Mediolanensem, in medium proferre me iuvat, cuius extant duo carminum volumina eaque spissa. Nitent in his carmina duo Catulliana, ut ita dicam, quorum alterum, quod Fratrem Catulli inscripsit poetam, si Pascoli cycneus cantus sive de [Thallusa](#), serva Christifideli, carmen non extitisset, forma ni fallor longe diversa lucis in oras prodiisset. Cuius rei complura extant testimonia, e quibus unum afferam, ceteris ad pagellas subsidiarias reiectis. Itaque apud utrumque poetam occurrit nobis legentibus Homerica illa verborum iunctura, risum lacrimans, Latine satis audacter adhibita, quæ apud Pascolum refertur ad inenarrabilem nescio quem affectum e gaudio atque dolore concretum, quo Thallusa afficitur cum puerulum primum ridentem vidit, unde suum ipsius, non eræ esse infantem somniat, apud Ciresolam autem ad Catulli animum tam Lesbiæ perfidæ memoria repletum quam nova quadam, cum mulier illa fidam se fore spondit, voluptate perfusum:

*Ridet! ait Thallusa furens, oblita sui, nil
percipiens oculis aliud, nil auribus, omnis
in puero, risum lacrimans, deperdita, “Ride!”*
(...)

Hæc Pascolus: [15]

*Lenta haud invitæ collo dat brachia circum
et risum lacrimans dictis adfatur amicis.
(...)*

Hæc de Catullo Pascolum secutus Ciresola. [16]

Patet hinc tam Morabito quam Ciresolæ Pascolum fuisse tamquam exemplum haud secus atque ipsi veteres poetæ imitandum. Qua in re obiter animadvertendum hoc, quod novum non raro imitationis genus idque legentium delectationem non mediocriter augens reperitur: siquidem Morabiti carmina Latina Italica poematia Pascoliana interdum redolent; quod genus æmulationibus poesis ipsa Latina suaviter ditatur; eodem fere modo Gaertnerus, poeta Germano-Americanus, de quo postea pauca dicemus, Theodiscis interdum allusit carminibus. Ceterum et Morabitus et Ciresola ludo nescio quo Pascoli æmulos sese non sine aliqua ostentatione declaravere. Nam hoc olim epigramma ad amicum Morabito scripsit Ciresola cum victor ipse e certamine quodam discessisset alterumque reportasset inde præmium Morabito.

*Nullus sit victus, si victor carmina victi
commoto penitus pectore sæpe legit.* [17]

Hoc autem epigramma e Pascolo propterea petisse mihi videtur Ciresola, ut sese quasi filium Pascoli iactaret, Morabitum amicum, [Hartmanno](#) poetæ Batavo, quo familiariter usus erat Pascolus, componeret. Nam hæc Pascolus olim victor ad alterum a victore:

*Hartman, non vinci, magis est vicisse pudori
cum victor victi carmina sæpe lego.* [18]

Non temere a me in medium prolatus Iosephus Morabito neque inconsulto brevis iniecta Ciresolæ mentio, quippe quorum mortes ævo illi Pascoliano finem quodammodo attulerint. Alter autem, Ciresolam dico, anno millesimo nongentesimo duodeoctogesimo obiit; Morabitus annum agens duodecentessimam calamitate autocinetica misere nobis est abreptus; qui, cum ad extremam pervenisset ætatem, scribens tamen est mortuus. Post hos ergo poetas vita functos nova carmina more modoque Pascoliana facta frustra, quod sciam, requiras; atque equidem haud scio an epyllia illa Pascoliana, quibus sæculum vicesimum, quod ad poesin, dilucide insignitum esse constat, in desuetudinem sint itura in omne tempus. Viderint posterii.

At præter Pascolum Pascolique sectatores alii florere poetæ, qui a Pascolo illo aut modice aut plane desciverunt novasque vias audacter inierunt. Longum est enumerare singulos et ipse timeo ne vivi qui nunc sint poetæ, prætermitti a me, mihi suscenseant. Itaque, ne vel tædium vobis afferam vel opprimar invidia, paucos attingam quorum pars longe maior vitam cum morte iam commutavit; hisque plerumque contentus ero quos maxima cum delectatione maximoque cum fructu semel atque iterum in manus sumo. A Pascolo igitur non mediocriter deflexit Iohannes ille [Pigatus](#) (1910-1976) Neo-Comensis doctor et sacerdos, qui abhinc quinque lustra supremum vitæ obiit diem.^[19] Huius poetæ summi extat carmen de Lucretio, quo nobis proponitur poeta Epicureus, nec tamen id more Pascoliano ita ut vatem illum philosophia non mediocriter imbutum loquentem audiamus, sed ut Lucretium alloquatur Pigatus eumque refellere conetur; nam Lucretium si post Vergilium lucis prodisset in oras religionem Christianam amplexurum fuisse contendit Pigatus; eumque quod furore esset correptus (en Hieronymiano credidit testimonio Pigatus!) et infausto viveret sæculo, omnia nigra existimare, omni salutis spe sublata:

*Nec tu sincero semper qui corde fuisti,
nunc aliter caneres, infortunate Lucreti,
prodigio si Romuleas revocatus in auras
non ira ferri Numen, sed amore videres
nec quicquam nisi iter mortem ad vitam esse beatam.*^[20]

De hoc carmine diu et acriter inter iudices Hoeffftianos disputatum esse constat, quod inter poetam veterem et ipsius imaginem a Pigato pictam parum similitudinis intercederet, quodque eam imaginem sacerdos catholicus suam ad normam derexisset ac detorsisset. Nihilominus palma ei tandem concessa, ac iusto ei iure mea sententia est concessa. Nam alius est doctas de Lucretio commentationes exarare, id quod philologi facere solent, aliud cum vate mortuo poetice sermocinari eumque in vitam ita revocare, ut ad vatis prioris indolem referantur quæ sint vatis posterioris propria. Nam ego sic sentio, imaginem eam Lucretianam mirum in modum ipsi poetæ (Pigato dico) convenire, qui cum innata quadam mæstitia, tum fragilitatis rerum conscientia oppressus, pondus illud, quod inesse animo sentiret et gravitate se fatigare, fide tantum colenda excolendaque poesi levare aliquatenus potuerit. Quod cum alia carmina testantur, tum id, cui *Sacerdos Moriens* est titulus, cuius complures extant versiones ineditæ, quia poeta morbo cancrino diu implicitus ad ultimum usque vitæ diem versus retrectare et polire perrexit; quibus totam vitam exposuit et suam ipse mortem nuntiavit, neque intimos quidem sensus patefacere veritus est:

Seque ratus miserum et fati hostilibus ortum,

*primum homines frustra, precibus dein Numen adivit
auxilium in tantoque rogans squalore levamen.
Tunc demum sensit cordis requiesse tumultum
spemque aluit, proræ similem maria alta secantis,
tempora mox vitæ fore candidiora futuræ.*

(...)

*Nunc autem proferre caput conatus “havete”
murmurat ex oculisque iubar manavit apertis,
victor ut in stadio populo subridet ovanti.
Qui circum adstabant, hæc inconsueta paventes
inclinant sese pleni anxietatis in ægrum.
Is vero gaudens æterna in templa volarat
ad scatebras pulchri vereque perennis amoris,
et testis fuit in placido lux ore pererrans. [21]*

Versus autem Pigatiani robore nescioquo nativo notantur et etsi perspicuitate hic illic carent suntque duriusculi, ipsius poetæ sanguine ut ita dicam conscripti, me sæpius ad se rapiunt. Talia igitur poematia, sive ad scriptorem nescio quem veterem sive ad poetæ hodierni ipsius animum vel personam saltem poeticam relata, numero fere innumero relicta sunt nobis ab eis viris et mulieribus qui superiore sæculo Musis indulserunt.

Pauciores autem fuere qui carmina Vergiliana sibi imitanda proponerent; qua e provincia si carmina pia excludo, et eximo Æneida a poeta Iaponico emendatam (ut ipse asseveravit), unus nobis relinquitur [Hippolytus Galante](#), qui fabulam Indicam versibus Vergilianis inclusit [Saniuctam](#)que inscriptum carmen heroicum semisæculo ante publici fecit iuris;^[22] item carmina didascalica, versificatoribus olim tam grata, superiore sæculo paucissimos delectavere poetas; unus et alter Ovidium in hoc genere est imitatus. Nam [Florindus Di Monaco](#) Italus, poeta præmiis non semel honestatus, anno millesimo nongentesimo octogesimo sexto *Artes pulchritudinis* emisit itaque mihi *Medicamina faciei femineæ* nostris temporibus accommodasse videtur;^[23] eo autem ipso anno e vita discessit [Iosephus Eberle](#) sive Apellus (1901-1986),^[24] actorum diurnorum quæ *Stuttgarter Zeitung* inscribuntur olim moderator, qui senior Musæ rhythmicæ litare cœpit, annis iam gravis versus metricos spernere desiit ad elegantiasque Ovidianas proxime accessit; anno autem millesimo nongentesimo septuagesimo, postquam seditio tumultusque scholasticus per omnes fere Europæ occidentalis populos grassatus est fueruntque magnæ ut rerum, ita et litterarum inclinationes, Artem bene scribendi brevem huius more diei in lucem edidit Stutgardiaë, quod an carmen didascalicum proprie appellem dubito. Hæc enim ille, Nasonis vestigiis ingressus:

*Si quis in hoc fieri populo vult inclutus auctor,
me legat et doctus carmine clarus erit.*

(...)

*Omnia quæ scripsere patres, dic stercore digna:
Hoc teneas, hoc sit regula prima tibi.*

(...)

*Materia de qua scribas me forte requiris:
ut bene succedas, elige res acidas.*

*Quidquid olet, sordet vulgoque tacendum est,
quidquid atrox, pravum, turpe, palustre, procax.*

(...)

*En tua materies puerili congrua menti:
mundum pinge fimo, stercore tingue stilum.*

His ergo versiculis laudatis, quos pseudodidascalicos dixerim, maiora litterarum dimisimus genera, ad satirica devenimus, de quibus sæpius a me actum quam ut sint hic fusius repetenda. Nolo enim iterum me de [Arrio Nuro](#) (1907-1979) copiose disserere.^[25] Verum si quis forte est cui nondum innotuerit Nurus, sic habeto, eum fuisse in hoc genere facile principem, quod non solum Iuvenalianæ satiræ fragmentum tam callide finxerit ut ipsi viri docti, qui quotannis bibliographicis libris *L'année philologique* insudent, opere eo decepti, fragmentum illud pro Iuvenaliano venditaverint, sed et mores sui ævi facete vel mordaciter carpserit, emissis auro dignis satiris velut *In stultitiam* quæ inscribitur, qua mores Americanos maligno rodebat dente. Ceterum, quod ad nullum litterarum genus non feliciter sese contulisset, luxisse Musas opinor cum virum in nosocomio Honkongensi anno millesimo nongentesimo undeoctogesimo fatis cessisse comperissent. Cui poetæ si in hoc primas facile deferam, secundas Iosepho Eberle vel etiam huius in re poetica discipulo [Fideli Rädle](#) concedam: illum dixi; hunc ipsi, auditores, coram videre potestis, virum dico egregia facultate poetica ornatum; cuius si librum nitidissima veste typographica decoratum ad umbilicum usque evolveritis –qui inscribitur *de condicione bestiali vel humana-* ^[26], una mecum fatebimini multa ibi inesse quæ ***non possit diruere annorum series et fuga temporum***; præsertim cum rhythmorum eorum pars non infima risum nobis moveat non ob acerbitatem quandam in carpendo, sed in ridendo subtilitatem cum humanitate ac sapientia mixtam. Iamque novi pullulant qui in hoc genere laudem aliquam piscuntur, veluti Gerardus ille [Alesius sive Allesch](#), iuvenis Vindobonensis, cuius *Epigrammatum libello* ^[27] nuperrime divulgato quædam et iocosiora continentur, etsi ad formam epigrammatum quam ad ipsorum argumentum et acumen maiorem contulit operam. Utcumque se res habet, eius poematia plerumque lasciva hodiernis canonibus mihi respondere videntur, ut quæ tota sint in docta imitatione.

Accipies cum hac epistula hendecasyllabos nostros, quibus nos in vehiculo, in balineo, inter cenam oblectamus otium temporis. His iocamur, ludimus, amamus, dolemus, querimur, irascimur, describimus aliquid modo pressius, modo elatius, atque ipsa varietate temptamus efficere ut alia aliis, quædam fortasse omnibus placeant.

Hæc de suis nugis olim Plinius Minor, quas apud criticos severiores compluriens excusavit. At eiusmodi versiculorum, nugarum, lusuum non ingens copia a temporibus antiquis ad hæc pervenit tempora. Ingens vero talium scriptiuncularum numerus et modus apud poetas recentiores et recentissimos invenitur, quarum levitas cum elegancia coniuncta animo curis et veterum austeritate defatigato solacium cum delectatione sæpe solet afferre. Non equidem [haicua](#) Latina hic tractabo, quæ maiore in annos proventu cœpta sunt edi postquam [Henricus Reinhardt](#) anno præteriti sæculi octogesimo tertio primum poematorum Iaponicorum Latino iure donatorum volumen publicavit.^[28] Sed, clepsydra monente, unum memorabo vatem, cui [Æmilio Merone](#) est nomen. Cuius viri memoriam cives sui, Neapolitanos dico, anno proximo superiore conventu habito et libro divulgato condigne celebrarunt. Hunc igitur Meronem, qui abhinc annos ad triginta mortem obiit, valde admiror quod gaudia domestica, uxorem, filiolas, naturæ rerum miracula apte et convenienter cecinit, hendecasyllabis plerumque adhibitis; quos quotiens lego, Neapolim me (ita mihi videor) referunt atque in Campaniam felicem, terram ad elegantias omnes Veneresque natam. Vultisne exempla? Pauciora sinite afferam. Ecce ardor æstivus adumbratus:

*Hac hora nimio calore fervet
bitumen nitidum viæ silentis.
Rarus conspicitur viator ire:
alveo fluvii lacerta sicco. [29]*

Sequantur *pinus Inarimes*:

*Nocte concubia comas virentes
pinorum patulas rearis esse
umbellas micat in polo sereno
luna argentea quam minora cingunt
astra pallida: candidi colores
complent omne nemus domusque raras:
amantes coeunt, manent parumper
sub patrocinio silentis astri:
arreptis manibus petunt vicissim
verba mutua basiumque furtim.
Sentio et vagor in nitore solus;*

*admiror speciem loci meumque
pectus interea patet gradatim
sicuti rosa basiata sole
aut ceu flumen ad ostium dehiscens.* ^[30]

Iam ultimum exemplum id, cui titulus *Marisa* (hoc filiolæ nomen) *studet*:

*Incumbit studio Marisa: penso
in sui vacat angulo cubilis,
solis lumine vivido micantis:
suspendens digitis pedem appropinquo,
dein post terga moror legoque pensum
trans nimum nitidum comæ fluentis:
umbra proditus incidente in albas
schedas, detegor et subinde longis
genæ basiolis sonant parumper.* ^[31]

Nec vero omnes poetæ ad metra confugerunt; fuerunt etiamve nunc sunt rhythmorum et consonantiæ amantes vates atque illi quidem emuncti, qui optatum exitum consecuti formas eas mediævales nobis persuasibiliter commendant. Hic Fidelis Rädle, Iosephi Eberle, Iosephi Tusiani non possum quin denuo mentiones iniciam; quibus subiungo Thomam illum [Pekkanen](#), academiæ nostræ alterum a præside eundemque totius [Kalevalæ](#) sive nationis Finnicæ epici carminis interpretem Latinum.^[32] Nam eiusmodi versus sæpe usurpantur cum in aliis versionibus, veluti Kalevalæ, conficiendis, tum in puerilibus libris Latino iure donandis. Itaque ante hos paucissimos menses Henrici Hoffmann liber ille notissimus qui *Petrulus Hirsutus sive Der Struwwelpeter* inscribitur, quique Eduardo Bornemann interprete anno millesimo nongentesimo quinquagesimo sexto typis primum est excusus, in publicum denuo prodiit, edente societate librorum humaniorum Darmstadiensi,^[33] cui inest inter alias illa de *Conrado pollicisuga* fabula, quæ ita incipit:

*Mater suo Conrado:
“Remanes, dum exeo
Probus sis, absente me!
Sed imprimis hortor te:
cave rursus pollicem
sugas, aut huc forficem
tractans sartor est venturus
ilicoque desegeturus
tuos pollices-securus,
quasi sit papyrus purus.”*

Quos versiculos legens fortasse autumatis, auditores, rem non verti potuisse nisi rhythmice. Tamen nescio an [Valahfridus](#) (en prænomen loquor quod nomine gentilicio non indiget!) spartam eam elegantius ornaverit diversas in formas mutatam generaue scribendi conversam; e quibus heroicam vestem selegi coram vobis recitandam:

*[Iam prope tempus erat, quo mater abire parabat](#)
quæ genito 'maneas, inquit, servesque penates,
Conrade, dum redeo, nec (quæ mihi maxima cura est)
lambe manum lingua: digitis procul ore remotis
tutus eris, miserum ne te sors atra sequatur.
nam sive hoc fato pecces seu dira cupido
huc trahat, ipse aderit qui tenuia tendit acutis
fila acubus doctusque togas tunicasque retractat,
ipse tibi in pœnam veniet nec deerit Erinys.* [34]

Simili autem modo et Arrius Nurus, quem dixi, [Carmina anserina](#), quæ *Mother Goose Rhymes* Anglice nuncupantur, distichis elegiacis reddidit.

Dictum a me est, auditores, de carminibus metricis et rhythmicis. Reliquum est ergo ut de versibus liberis dicam nimium pauca. Nam et hoc genus carminum non infeliciter temptaverunt poetæ sive levia, sive gravia canentes. Inter ceteros autem præstabant hac versuum specie [Smerdelius Croata](#), [Gaertnerus Germano-Americanus](#) et [Novacus Morabus](#). Gaertner (1912-1996), qui abhinc annos sex vitæ confecit cursum, iuvenes Americanos historiam artis et sermonem docuit Latinum. Tristis vates et melancholicus, qui nunc in morte meditanda, nunc totus erat in rerum vanitate ostendenda, poematiis brevissimis eisque delicatissima sonoritate instructis. En unum solum, cui titulus *Fatum*.

*Inexorabilis
deus te tenet,
te ducit, te docet,
te delet.
Quo ruis? Morare.
Quid petis? Exspecta.
Et noli clamare,
vocaberis.* [35]

Ianum autem Moravum, anno millesimo nongentesimo octogesimo quarto Novæ Ulmæ defunctum, patet etiam cum Musæ vacaret, musurgum sese gessisse; mirus in ipso sonorum delectus, numerorum et harmoniæ

sensus; ad hæc animus ad lusus natus. Hic est poeta qui vel cachinnos possit commovere audientibus. Nam ludicra eius etiam nunc, viginti fere a morte revo-
luta annis videntur mihi ea quibus similia vix invenias. Nata sunt ea in viro non grammatico, nihilominus Latinissimo.

Unum, ut finem tandem aliquando orationi imponam, exemplum, unde cetera quæ sint ipsi divinare possitis, unum inquam ut rivulos claudam legam exemplum; est autem *Meditatio canina*, quam poeta quattuor vocibus puerilibus postea adaptavit:

*Bau , bau !
sum canis
quid stupēs?
quin tibi dīco: sum canis
habeo caudam et aurēs dēmissās
etiam latro
sum canis sed haudquāquam latro
ne mē male intellexeris:
ego quidem latro sed nōn sum latro
sum canis
latrōnēs nōn latrant
sunt hominēs et hominēs latrāre nōn solent
hominēs nōn latrant sed hominēs sunt latrōnēs
et ūtuntur lātrīnīs!
minimē ego
hominēs ūtuntur lātrīnīs et ferrō
ego milliarīa præfero et ossa
quidni præferam?
non sum homo,
sum canis
et latro !
bau, bau ! [36]*

Dicite mi, auditores: si talia carmina alumni in scholis interdum audirent enarrata, num sepultam esse hanc linguam sentirent? Nonne animis multo alacrioribus studio se dederent? Num litteras Latinas nihil ad se pertinere crederent? Proinde tollite, doctores, carmina recentissima, legite ipsi et, si vobis nostri sermonis vita cordi curæque, eos qui vobis in disciplinam sunt commissi, facite faciatis participes ignoti huius campi latissime patentis.

1. Ad Ægidium Franciscum de Gottignies (1630-1689), Contraci IV Id. Oct. 1667. Epistula servatur inedita Romæ in “Biblioteca Nazionale Vittorio Emanuele”, Autogr. A. 15.42. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
2. Cf. Diego Vitrioli, Xiphias. Epigrammata. Elegiæ. A cura e con introduzione di Antonino Zumbo (Regii Iulii, 1998), pp. 179-180. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
3. Ib., p. 108 [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
4. Ib., p. 154 [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
5. Cfr. U. Dubielzig, ‘Die neue Königin del Elegien. Herrmann Wellers Gedicht Y, in E. Kessler – H. C. Kuhn (edd.), Germania Latina – Latinitas Teutonica. Politik, Wissenschaft, humanistische Kultur vom späten Mittelalter bis in unsere Zeit, Humanistische Bibliothek, I, 54 (Monaki, 2003), pp. 855-878. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
6. Desiderius Erasmus, *Antibarbarorum liber*, ed. by K. Kumaniecki, Opera omnia Desiderii Erasmi Roterodami recognita et adnotatione critica instructa notisque illustrata, I, 1 (Amstelodami, 1969), pp. 1-138 (p. 56) [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
7. Cfr. I. Ijsewijn, *Cycneus Latinitatis cantus? De causis adflicte Latinitatis oratio* Roboreti apud Italos habita postridie Kal. Nov. MCMLXXII, Palæstra Latina, 44 (1974), 67-72 (pp. 71-72); cfr. etiam eodem auctore *Ab oblivione vindicentur poetæ Latini novissimi*, Latinitas, 28 (1980), 60-63. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
8. C. Arrius Nurus (Harry C. Schnur) (1907-1979), Ad Ovidium, in Viva Camena. Latina huius ætatis carmina collecta et edita ab Iosepho Eberle cum commentariolo Iosephi et Linæ Ijsewijn-Jacobs De litteris Latinis recentioribus (Turici et Stutgardia, 1961), p. 101. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
9. I. Tusiani (1924), Somnium nivale, in I. Tusiani, in exilio rerum. Carmina Latina, collegit atque edidit Th. Sacré, Bibliotheca linguæ Latinæ (Avenione 1985), p. 24. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
10. Cfr. i.a. D. Sacré, *Een hedendaags Latijns gedicht: Furens Tympanotriba van Jan Novàk*, Kleio, 14 (1984), 73-81. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
11. Cfr. D. Sacré, *De Thallusa sive de Iohannis Pascoli (1855-1912) cycneo cantu*, vox Latina, 36 (2000), 472-486. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
12. I. Pascolus, *Catullo localvos*, 283-292 (cfr. Giovanni Pascoli, *Saturæ*. Introduzione, testo, commento e appendice a cura di A. Traina, Biblioteca di studi superiori, Filologia Latina, 66, (Florentiæ, 1977, altera ed.) pp. 45-46. Nemo hoc ævo Alfonso illo Traina, professore academico Bononiensi, Pascolum Latinum magis callet. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
13. I. Morabito, *Mater. Carmen Iosephi Morabito Messanensis in Certamine poetico Hoeufftiano magna laude ornatum* (Amstelodami, 1947), p. 9. De Iosepho Morabito egregia scripsit i.a. V. Fera, L’Umanesimo integrale di Giuseppe Morabito, *Annuario (del) Liceo Classico Francesco Maurolico (di) Messina*, 2000, 13-45. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
14. I. Morabito, *Somnium Catulli*, in G. Morabito, *Latina fides. Carmina, epistula, odæ, epigrammata selecta. Con versione italiana* (Mediolani, 1979), pp. 37-45 (p. 39) [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
15. I. Pascolus, *Thallusa*, in A. Carbonetto (ed.), *La poesia latina da Dante al Novecento*. (Florentiæ, 1993), pp. 850-867. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
16. Th. Ciresola, *Frater Catulli*, in *Theodori Ciresola carminum volumine priore*. Edendum curavit Teresia filia (Calliani, 1988), pp. 57-63. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
17. Id., *Ad Ioseph Morabito*, in *Theodori Ciresola carminum volumine priore*. Edendum curavit Teresia filia (Calliani, 1991), pp. 357. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
18. I. Pascolus, *Ad I.I. Hartman*, in G. Pascoli, *Poesie latine a cura di Manara Valgimigli*. (Mediolani, 1960, tertia ed.), p. 558. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
19. Cfr. i.a. M. Tentorio – E. Gueglio (edd.), *G.B. Pigato. Nel decennale della morte* (Genuæ, 1986). [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
20. I. B. Pigatus (1910-1976), *Lucretius. Carmen in certamine poetico Hoeufftiano magna laude ornatum* (Amstelodami, 1956), vv. 326-330. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
21. I. B. Pigatus (1910-1976), *Sacerdos moriens. Poemation emendatum (inedito)* (Sondrii, 1978), vv. 84-89 et 166-173. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
22. Hippolyti Galante Saniucta (Romæ, 1957); cfr. i.a. V. Licitra, *La Saniucta di Ippolito Galante*, Bibliothecina della Rassegna di cultura e vita scolastica (Romæ, 1958). [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
23. *Hermes Americanus*, 4 (1986), 133-172. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
24. Cfr. i.a. M. Balzert, Nicht nur für den Tag: Joseph Eberles Triumph der Memoria, in E. Kessler – H.C. Kuhn (edd.), Germania Latina – Latinitas teutonica. Politik, Wissenschaft, humanistische Kultur vom späten Mittelalter bis in unsere Zeit, Humanistische Bibliothek, I, 54 (Monaki, 2003), pp. 889-931. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
25. Cfr. i.a. G. Tournoy-D. Sacré (edd.), *Pegasus Devocatus*. Studia in honorem C. Arrii Nuri sive Harry Schnur. Accessere selecta eiusdem opuscula inedita, Supplementa Humanistica Lovaniensia, 7 (Lovanii, 1992) [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
26. (Sigmaringæ, 1993) [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
27. (Vindobonæ, 2000) [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
28. *Haicua Latina. Cum epilogo: De conscribendis haicubus*. (Frisingæ, 1983). [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
29. Æ. Merone, *Ardor meridianus in urbe*, in Æ. Merone, *Aprici flores. Carmina. Præfatus est F. Sbordone* (Neapoli, 1950), p. 54. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
30. In Æ. Merone, *Hendecasyllabi*. Præfatio Victorii de Falco (Neapoli, 1954), p. 37. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
31. In Æ. Merone, *Munuscula Musæ*. Præfatio Benedicti Riposati (Neapoli, 1959), p. 22 [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
32. Cfr. *Kalevala Latina. Carmen epicum nationis Finnorum in perpetuam memoriam anniversarii centesimi quinquagesimi transtulit Tuomo Pekkanen (...)* (Helsinki, 1998, ed. tertia) [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
33. *Petrulus Hirsutus. Der Struwwelpeter* sive fabulæ lepidæ et picturæ iocosæ quas invenit ac depinxit Henricus Hoffmann doctor medicinæ. Picturas secundum Hoffmanni exemplar delineavit et lignis incidit Fridericus Kredel. Versiculos in sermonem Latinum transtulit Eduardus Bornemann (ed. Th. Brüggemann) (Darmstadii, 2002). [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
34. J. Leonhardt-G. Ott (edd.), *Wilfried Stroh, Apocrypha. Entlegene Schriftnen*. (Stutgardia, 2000), pp. 265-268: ‘Conradus pollicilingus (e Dris. Henrici Hoffmann libro c.t. *Der Struwwelpeter*’ (p. 266). [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
35. In I.A. Gaertner, *Cantus firmus* (Lunenburgiæ Vermontensium, 1966), p. XXX. Cfr. T. Sacré, *Musa superstes. De poesi sæculi XXI Latina schediasma* (Romæ, 2001), pp. 26-28. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]
36. In I. Novàk, *Ludicra* (Brunæ, 1965), s.p. [[preme. sis. ut redeas ad textum](#)]